

16.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
PASSIONE NEPHRITICA

QVAM
CONSENSU GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
IOH. FRIDERICO CARTHESER

MED. DOCT. ET PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
FACVLT. MED. H. T. DÉCANO

PROGRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
RITE CAPESSENDIS

DIE DECEMBER. M D C C L I I I .

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T

IOHANNES GODOFREDVS ELLER

SANGERHVSANO THVRINGVS



FRANCOFVRTI ad VIADRVM

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REG. TYPOGR.

DISSERTATIO IN VAGINALIS MEDICA
PHYSIONIA HERITICA
OVAIUM
CONSERVAT CULTIVAZ ET TACITIS MEDICAE
HERITICAE
JOHANNES FRIDERICUS GARTHEAER
MED. DOCT. ET PHYSICUS PROFESSOR OF MEDICINA
TACITI ET VAGINAE
PROGRADA HOC THESIS
SUMMARIOAE IN MEDICINA VAGINAE ET GESTATIONE
RITA CLOTHES
DIL. DEDICATA MDCCLXII
AEG^o
JANUARIA DECKER
JOHANNES GOTHOLDUS FELTER
SACRAE TRINITATIS AVGVSTINIANAE

JANUARIA AVGVSTINIANA
Tunc IOHANNIS CHRISIATINI MENTERI AGVD. REC. LIBROS

VIR O
ILLVSTRI, EXPERIENTISSIMO ATQVE
DOCTISSIMO
DOMINO
IOANNI THEODORO
ELLERO
POTENTISSIMI REGIS BORVSSORVM
CONSILIARIO AVLICO, PERSONAE REGIAE UT
ET COHORTIVM BELLICARVM MEDICO PRIMA-
RIO, SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARVM ET
COLLEGII MEDICO-CHIRVRGICI BEROLINENSIS
DIRECTORI, SVPREMI MEDICORVM COLLEGII
DECANO, SOCIETATIS NATVRÆ CVRIOSORVM
ATQVE COLLEGII SANITATIS
MEMBRO
PATRVO, PATRONO, ET OPTIMO FORTV-
NAE SVAE PROMOTORI
OMNI AMORIS ET OBSERVANTIAE
CVLTV
SIMPITERNYM PROSEQVENDO
SPECI-

SPECIMEN HOC IN AVGVRALE
ILLUSTRE PRACTICISIMO ATQUE
IN PUBLICVM NI
GRATI ANMI TESTIMONIVM
CVM ARDENTISSIMO OMNIGENAE FELICITA
TIS YOTO
JOANNI THEODORO

OFFERT AC CONSECRAT
ELFERO
POTENTISSIME REGIS DORASORVM
CONSILIARIO AVICIO PERSONAE REGIAE AT
ET SOCIETATIS BELlicARVM MEDICO RIMA
RIO, SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARVM ET
COLLEGII MEDICO-CHIRURGICIS HEROLDINENSIS
DIRECTORI SAPHERMI MEDICOVM COLLEGII

EGANO, SOCIETATIS MATRARVM CARLOSTAVI
ATQVE COLLEGII GARNITATIS

PATER PATRONO, ET OPTIMO YOTO
NIS SVAE PROMOTORI
OMNI AMORIS ET OBSERVANTIE
CIVITATIS

IOHANNES GODOFREDVS ELLER.

24304



DISSE^RTAT^O IN A^VG^UR^AL^IS
MEDICA. inibio d^orum g^oto^mo. l^oco i^qtu^m d^olo^mo. d^olo^mo. c^om^be^ro. c^om^be^ro.
PASSIONE NEPHRITICA.

Notissima ac satis frequens illa renum affectio
spasmodico-dolorifica, quæ vulgo *Passio*
nephritica, *Dolor nephriticus*, *Malum nephri-*
ticum, itemque, quanquam generatim mi-
nus recte, *Nephritis nuncupatur*, inter morbos, qui mis-
ris mortalibus ingentes nonnunquam cruciatus parunt,
qui vita eosdem haud raro privant, sibi eminentem omni-
no locum vindicat, et ideo maxime, quod plures, easque
valde discrepantes, causas agnoscit, adeoque diversam pa-
riter

riter medelam postulat, attentam præ multis alijs considerationem meretur; quemadmodum memorata sequens de hoc malo tractatio, quam, licet minime novam fore, probe sciām, suscipere hac vice, protinusque exordiri, mecum constitui, uberior docebit.

§. II.

Priusquam ad ætiologiæ evolutionem descendam, brevem, eamque generalem, morbi historiam præmittere, et ea in primis symptomata, quæ morbum hunc, a quacunque etiam causa ortum, ordinario comitantur, ejusdemque præsentiam manifestant, enarrare, necessum non minus, quam ordini consentaneum duco. Primo igitur loco ipsum dolorem, qui morbi quasi essentiam constituit, et regionem lumbarem dextram aut sinistram, vel etiam, licet rarissime, utramque occupat, considerabo. Dolor hic, qui modo vehementior ardens, pungens, mortificans, lancinans est, modo remissior tensivus, aut pressorio-gravatus, in dicta quidem regione lumbari sedem fixam, atque primordia habet, inde nihilominus, propter nexus nervorum, membranarum etc., ad dorsi spinam et pubis regionem extenditur, immo, altius haud raro in abdominis cavitatem penetrat: unde etiam sit, ut practici incauti crebro decipientur, et insolentiora pathemata, a renum spasmo saltim consensualiter producta, morbos primarios æstiment, isdemque remedia unice opponant. Reticere pariter nequeo, sapissime, inverso prorsus modo, cruciatus hæmorrhoidales, insimam dorsi partem occupantes,

pantes, nec minus intestini coli, et aliarum partium, circa renes jacentium, dolores cum vero dolore nephritico confundi. Nam quoties, dudum hoc annotante E. FRIEDE
RICO HOFFMANNO (*a*), musculi lumborum interni et externi, ligamenta vertebrarum lumbarum nervea, plexus nervorum mesentericus superior, ramus arteriae mesentericae superioris, et circa vicinias flexuosus intestini duodenii finis, nec minus sigmoidea coli flexura a vitiolo ibi stagnante, sive seroso humore vel nimis distenduntur, vel comprimuntur, dolor satis gravis, nephriticum valde æmulans, oritur. Simile quid interdum quoque fieri observamus, quando rheumatismus partes memoratas invadit, vel vertebræ etiam cum nervis et musculorum tendinis, ob casum prægressum, aut magni oneris levationem, a propria sede aliquantulum recedunt: Notari tamen debet, posteriores hosce dolores, a rheumatismo scilicet, et levissima vertebrarum etc. dislocatione oriundos, præcedentibus utplurimum atrociores esse, et adeo subinde, nunc subito, nunc pedetentim, increscere, ut ægri, non aliter propemodum, ac si lumbi per medium dissecti essent, incurvati incedere cogantur, nec surgere etiam va
leant. (*b*)

§. III.

(*a*) In Med. Syst. T. IV. Part. II. Sect. 2. p. 361.

(*b*) „Dolorem lumborum rheumaticum, BAGLIVVS in Operib. p. m.

„n. scribit, a nephritico per hoc certissimum signum distin
„guere poteris: Pete ab ægro, an, dum in terram incurva
„tur, et exinde erigitur, cum difficultate erigatur, adeo ut
„per medium quasi scindi videatur; si hæc adiunt, pro certo

§. III.

Ad notabiliora pathemata reliqua, quæ sese nephriticis doloris, tanquam mera symptomata, jungere consueverunt, praeter magis minusve cohabitam diuresin, cruris, reni dolenti subjecti, stuporem, inguinis dolorem, et apud viros vicini quoque testiculi retractionem, itemque percinacem alvi obstructionem, tornina ventris colica, (a) ructus „habeto, dolorem illum non esse nephriticum, sed rheumaticum, productum scilicet ab acribus et muriaticis salibus per ferous humorem illinc depositis.

(a) Quo circa vulgaris ac veri doloris colici, et veri pariter doloris nephritici diagnosis omnis evitetur error, sequentia notanda erunt:

- 1.) Dolor colicus acerbissimus, contorquens quasi, lacerans, et vage lancinans est, nephriticus vero comparative mitior, magisque pressorius deprehenditur, nec agrotantium quoque vires tam subito, quam ille, dejicit.
- 2.) Dolor colicus ordinario cinguli instar medium ventrem affigit, et magis vagus est, nephriticus ex adverso in rene affecto et lumbarie regione fixus, indeque ad spinam dorsi, et adhuc magis, secundum ureteris longitudinem, ad testem cum femoris stupore exporrigitur, immo ulterius descendit, ita ut aegri in urethra et glande virili titillationis molestæ aut punctura sensum percipiant.
- 3.) Post alimentorum adsumptionem dolor colicus ordinario augetur, nephriticus jejuno ventriculo magis urget, paululum que post pastum remittit.
- 4.) Excretio alvina et vomitus majus levamen colico, quam nephritico dolori afferunt.
- 5.) Urina sub colice initio crassior est, in passione nephritica pri-

ructus frequentes, nauseam, ac vomitum, quæ singula
spasmo renum, per nervos et membranas connexas pro-
pagato, suam debent genesin, referre nullus dubito; mo-
nendum cæteroquin erit, pro differenti causarum indole
modo hæc, modo illa atrociora reperiri. Nam stupor cru-
ris v. g., præsente in primis calculo, supervenit, et magna
incrementa capit, quando calculus, præsertim grandior,
e pelvi ureterem ingressus, angustumque hunc ductum
valde distendens, substratum musculum ploam, ejusdem-
que nervum violentius comprimit.

§. IV.

Adductis symptomatibus, tum communibus pro-
sum, tum nephritico dolori creberime complicatis, pro
circumstantiarum apud ægros diversos discrepantia, ad-
huc alia, quæ quasi propria seu specifica appellari meren-
tur, accedunt; quæ autem cum absque speciali causarum
contemplatione distincte recenseri nequeant, ad ætiolo-
giae ventilationem confessim progrediar, et de *Calculo*, qui
causam passionis nephriticæ frequentissimam suppeditat,
primum loquar. Duplici modo calculi renales, sive in
pelvi, sive ureteribus delitescant, nimirum propter aspe-
ritatem
mum clara ac tenuis, postea aliquid subsidet, et tandem
arenulæ, aut lapilli, aut copiosa materia fabuloso-pituto-
sa, aut salino-tartarea, in splendentes moleculas in vitro
fundo concrevens, excernuntur. Conf. i. ALLEN in *Synops.*
Univers. Med. pract. p. 230. it. F. H. HOFFM. l. c. p. 362.

B

ritatem suam et figuram angulosam pungendo ac lacerando, vel ob magnitudinem duntaxat premendo, ac valide distendendo, dolorem nephriticum, ac quidem in casu priori atrocem, quin atrocissimum, punctorium ac lancinantem, in posteriori autem utplurimum leniorem saltim gravativo-tensivum atque pressorium provocant: Utplurimum, inquam, non semper; experientia enim teste obtusi etiam calculi, ast simul grandiores, acerbum dolorem pungentem ac dilacerantem pariunt, quocties fese in caput ureteris altius insinuant, vel, per ureterem ad vesicam urinariam descensuri, sub itinere suo incarcerantur, adeoque sub pertinaci hac inhaesione non solum urinæ transitum plene planeque impediunt, sed laudatum quoque canalem nervoso-musculo-membranaceum vehementer distendunt: Immo, frequens docuit observatio, calculos grandiores, simulque angulosos, diu interdum in pelvi renum latitare quietos, nec ulla plane suscitare incommoda (*a*), donec fortuito per causas varias, inordinatum v. g. ac vehementem corporis motum, equitationem, duriorem ac diuturniorem vecturam, terrorem, iracundiam, vomitum, tussim, frequentem sternutationem, refrigerationem lumborum, adsumta cathartica et diuretica fortiora, hujusque census alia, ita, mediante concussione, aut vehementi fibrarum renalium irritatione ac constrictione, commoveantur, ut situm incongruum, hostili actioni magis idoneum, nanciscantur, vel penitus e pelvi in angustiorem ureterem exturbentur.

§. V.

(*a*) Conf. BAGLIV. I. c. p. 118.

§. V.

Quamdiu calculus in pelvi latet, dolor fixus atque continuus, quem ægri in regione lumbari percipiunt, plerumque obtusus saltim gravativus atque pressorius, rarissime pungens ac lacerans est, quamprimum vero ureterem intrat, dolor subito lancinans evadit atque dilacerans: unde, secundum **BAGLIVI** effatum (*a*) sensus subitaneus rei pungentis, veluti aculei in regione ureteris, signum calculi hac parte jam impulsii certissimum est. Calamitatem, quam dolor adfert, plura molesta symptomata, ex nervorum aliarumque partium consensu orta, ardor videlicet lumborum, inflexibilitas spinæ dorsalis, stupor cruris ejusdem lateris, retræctio testiculi, acerbi intestini coli dolores, refractaria alvi adstricatio, vomitus frequens, et sœpe etiam urinæ cruentatio aut suppressio magnopere augent. Materia, quæ vomitu rejicitur, plerumque in principio pituitosa est, deinde flava, bili haud dissimilis, tandemque æruginosa. Urina parvissime fluit, limpidaque et tenuis, vel cruenta est, post calculi tamen descensum in vesicam, crassa fit, turbida atque subnigricans, et copiosius quoque excernitur.

§. VI.

Calculorum vice interdum *Materia mucido-tartarea ac sabulosa*, quæ in renibus diutius retenta tandem in unum aut plures lapides concrescit, perfungitur, quando in pelvi coacervatur ac vehementius per causas antea allegatas

B 2 com-

(*a*) L. c. p. 116.

commovetur, vel e renibus ad vesicam descendens, in uretere subsistit, eumque magis minusve obstruit, atque distendit; dolor tamen et symptomata reliqua, quæ excitat, remissiora sunt, quam inhærente calculo compacto, et citius quoque remittunt, quoniam obstruens faburra pituitoso-fabulosa lotio insequente, et adhuc magis iterata tunicarum pressione facilius resolvitur, ac citius itaque ex uretere in vesicam transit. Durante ureteris obstructione, urina pauca quantitate prodit, et ordinario tenuis atque aquosa reperitur, deinde vero, reserata nimirum ureteris obstructione, crassa, turbidaque redditur, et copiosas partes pituitosas, fabulo albicante aut rutilante mixtas, ad vitri fundum ac latera deponit.

§. VII.

A prædicta materia sabulo-mucida non adeo, longe *Recrements illa acria tartareo-salina*, itemque *tenerima ac rutilantia fabulosa* recedunt, quæ apud arthriticos, scorbuticos, hypochondriacos, aut gravi rheumatismo laborantes, magna nonnunquam copia ad renes deferuntur, ibidemque cum lotio ex sanguine secreta, non tantum pelvis tunicas et corpora renum mamillaria, sed deinde etiam sub ulteriori suo progressu ad vesicam ureteres vellicant, pungunt, rodunt, et hac igitur ratione nephriticum spasnum atque dolorem, eumque utplurimum pariter ardenter, pungentem, rodentem, non solitarium tamen, sed vesicæ dolore, et continua propemodum stranguria stipatum, pariunt. Optime hæc species ex prægressis aut com-

plicatis

plicatis symptomatibus arthriticis, rheumaticis, scorbuticis, et hypochondriacis, nec minus e socia stranguria, junctoque urinæ ardore, et hujus in primis sedimento, vel rutilante atque tenerime sabuloso, (a) vel mucido lateritio, vel micante et subinde plane crystalliformi tartareo-salino cognoscitur. Criteriis hisce saturatam aut obscuram urinæ rubedinem, quin fuscedinem addere vellem, nisi compertum haberem, colorem hunc minus constantem esse, et parum quandoque a naturali deflectere.

§. VIII.

Quartam passionis nephriticae causam *Inflammatio* constituit, quam interdum vulgares atque communes in-

B 3 flamma-

(a) Rutilantis atque subtilis hujus sedimenti urinarii mentionem, præter alios nonnullos, dudum quoque allegatus JOHANNES ALENI fecit: „Symptoma illud scorbuticum, Lib. cit. cap. 8. art. 56. inquit, mendaci specie calculum præ se ferens (de quo Dravissus) non solum scorbuticis, sed hypochondriacis familiare est: Tartarus sub specie sabuli rutilantis, ut plurimum in urinæ subdentina se prodit, quandoque in atomis adeo subtiliter divisis, ut visum fere effugiat, lateribus vero matulae firmiter adhaerere solet; tornina nephriticis æmula concitat, et his comitem se adjungit stranguria fere continua &c. Et Cap. 9. art. 56. de eodem sedimento ita differit: „Sabulus rutilus tartareus, in urinis scorbuticorum excerni solitus, nephritidem spuriam saepius inducit, leviter oblongus, tenui ex adhesione ejus tam firma matulae lateribus, ut non nisi vi inde ablui possit), quibus partes nervosæ vellicant, et tormenta, ipsis nephriticis (ab ordinaria scilicet materia calida ortis) graviora, excitant, unde quoque saepius stranguriam inducunt. &c.

flammationum genitores, interdum vero, et multo quidem frequentius, asperiores aut commoti calculi renales, itemque adcumulata materia fabulosa, aut tartareo-salina fibrarum laceratione, aut violentissima ad minimum eaurundem irritatione producunt. Stricte hæc species *Nephritis* vocatur, et semper febrem continuam acutam, quæ præcipuum ejus signum pathognomonicum suppeditat, pedissequam habet. Dolor, cui fœse æque, ac in speciebus plerisque reliquis, ructus crebriores, vomitus biliosus, tormina colica et iliaca, retractio testiculi, et stupor cruris vicini jungunt, in regione lumbari continuus, valde ardens, pulsatilis, et interdum quoque pungens est: Urina parcissime fluit, quin, admodum austra vasculorum strictura, penitus haud raro supprimitur, et in principio atque progressu valde rubescit, deinde vero, malo scilicet ad summum proiecto, limpida et aquosa redditur. (a)

§. IX.

(a) „Secundum RIVERIVM signa inflammationis renum diagnostica sunt dolor in renum regione gravis, et aliquando pulsans, si locus, in quo sunt arteriae, afficiatur; et ille dolor ad partes vicinas extenditur, ut ægri neque fœse erigere, neque pedibus inniti valeant, tum etiam difficile in latus oppositus, tum fœse convertere, neque in illud, neque in ventrem decumbere possint, quia suspenditur pars inflammata: ideo perpetuo in dorsum residere coguntur, et si sternutatio, vel alia corporis commotio accidit, dolor valde exasperatur. Stupor aut etiam dolor in crure ejusdem lateris percipitur, ob nervi, qui inde ad crus tendit, condolentiam. Uri-na in principio tenuis est, et flava, in progressu vero rubricunda et crassior evadit, febris assidua et acuta ægrotantem

§. IX.

Eventum hic morbus varium, eumque nunc bonum, nunc malum, nunc plane funestum, fortitur. Si inflammatio enim ante diem septimum perfecte rursus dissolvitur, nihil incommodi remanet; si ultra septimum autem diem excurrat, abscessus, quem formari horror saepius recurrens, notabilis remissio doloris, pulsatio fortis, et gravitas stuporque partis affectae indicant, generatur, eodemque rupto, dolor ardens ac morticans supervenit, et urina purulenta, ac foetida excernitur. In gangrenam denique et sphacelum, cui mox ipsa mors succedit, inflammationem abiisse, repentina doloris citra caussam cessatio, subitaneus virium lapsus, sudor frigidus, pulsus debilis intermittens, singultus, et urina, si adhuc aliqua scilicet ejusdem excretio contingat, foetida admodum, livida, nigricans, capillosa, fuscisque ac nigris carunculis referta, testantur.

§. X.

Memoratus abscessus, inflammationi nonnunquam succedens, consolidationem persæpe respuit, et in refractoryum itaque *Ulcus*, quod novam rursus doloris nephritici caussam suggerit, degenerare solet: Simul tamen hoc loco notandum venit, non abscessum duntaxat ulceri generando

„affigit, quam saepè sequuntur vigiliae, deliria, aliaque gravis symptomata: nausea et vomitus saepè affigit, quo biliosa, sa, pituitosa, ac varia rejiciuntur &c. Vid. Ejusd. *Prax. med.*
„*Lib. 14. Cap. 5.*

nerando aptum esse, sed idem quoque calculos asperiores atque vehementius commotos, itemque supra adducta recrementa humorum caustica, largissime in pelym deposita, lacerando, erodendo, corrodendoque haud raro excitare. Dolor, præsente hac causa, in regione lumbari rodens ac morsicans est, urina, quod præcipuum signum diagnosticum existit, fœtente materia purulenta, carunculisque ulcerosis, superficie plerumque innatantibus, scatet (a), et per intervalla etiam multo cruento permixta cernitur, dolores colici cum pertinaci alvi obstipatione identidem oriuntur, tandemque tabes corporis universi, febre lenta stipata, accedit, omnemque sanationis spem tollit.

§. XI.

Ad caussarum denique censum *Congelationes sanguinis impetuosiores* referendæ sunt, quæ interdum, apud se-

nilis

(a) Præsente vesicæ dolore, graveolens quidem materia ulcerosa itidem excernitur, ast quidquam tamen discriminis hanc et illam, quæ e renibus venit, docente *Lommio*, intercedit: „Renibus nimirum affectis, non æque difficulter urina redditur, et quod ex his deterritur, rubet, seu tenues trahuntur, carunculae seu f'amenta capillis similia: minor etiam incidit dolor, sapiusque crux, et majore copia meitur, magis que toti urinæ permixsus est. At vero exulcerata vesica, major fit urinæ tum cupiditas, tum difficultas. Quicquid decidit, album est, dolores magis urgent, minusque sanguinis, minusque urinæ misti fertur. Vid. *Ejusd. Observat. medicinal. Lib. II. p. m. 208.*

nilis in primis ætatis subiecta, versus renes fiunt, ibidemque vehementem vasculorum sanguiferorum distensionem, fibrarumque nervearum pressionem, et hac mediante violentam quoque earum strictroram efficiunt, quando *fluxus hæmorrhoidalis* supprimitur, vel, deficiente omnimoda crux excretione, sic dictæ *hæmorrhoides cœcæ* superveniant, et acerbiores dolores in dorso, ventre infimo, et intetino recto provocant. Similes violentæ sanguinis regurgitationes versus renes subinde etiam sub rebelli *fluxus menstruī suppressione* et *defectu* observantur: Monendum tamen, dolorem nephriticum longe sæpius congettiones hæmorrhoidales, quam hystericas sublequi; nec silentio quoque prætermittendum erit, hujus originis dolori nephritico persæpe mihi cruentum, præfertim si tempestiva sanguinis abundantis detracatio neglecta fuerit, complicari. Dolor in regione lumbari ut plurimum remissior gravatus, pressorius, tensivus, rariissime pungens est, et reliqua etiam symptomata nephritica mitiora reperiuntur: Ut plurimum, dixi; exempla enim, in praxi quandoque obvia, hanc etiam doloris renalis speciem ad eminentem subinde gradum increscere, abunde comprobant. E vulgaribus hujus morbi symptomatibus specifica caufa vix aut ne vix cognoscitur, sed hic illa pathemata, quæ refractariam hæmorrhoidum aut catameniorum obstructiōinem comitantur, lucem maxime foenerari debent.

§. XII.

Ultimo tandem caussis haec tenus recentis *Vermes*, et *Venena erodentia* fortiterque vellicantia, cuius census v. g. C cantha-

cantharides sunt, addere nullus dubito, etiam si simul fateri cogar, quod hæ caussæ rarius longe, quam præcedentes, apud ægros nephriticos occurrant. Vermium, in pelvi latitantium, nulla certa dantur signa, sed conjecturæ duntaxat locus relinquitur, quando diagnostica cauſſarum vulgarium signa penitus deficiunt: Quod adsumta autem venena erodentia, aut violentissime tamen irritantia attinet, illa, (nisi clandestinæ fortassis atque nequissimæ aliorum fraudes intercesserint), debite considerata ingestorum qualitate, facile patescunt.

§. XIII.

Ex præmissa ætiologiæ tractatione protinus unumquemque perspecturum esse credo, quod passionis nephriticæ curatio, quam nunc ea pariter, qua fieri poterit, brevitate, tradam, non uno semper eodemque, sed, propter cauſſarum discrepantiam, diverso prorsus modo institui debeat. Præsente nimirum calculo, aut coacervata duntaxat materia pituitoso-sabulosa, illa ita maxime in principio adornanda est, ut spasmī fibrarum ac membranarum insolentiores tollantur, quo calculi grandiores ad pristinam rursus quietem redire, pituita vero, fabulum, et lapilli minores, viis laxatis, promoveri melius, atque expelli possint. Ad obtinendum igitur hunc scopum sese præ reliquis *Emollientia*, *Demulcentia*, et *Lubricantia* commendant, quæ temperata natura unguinoso-oleosa, mucilaginea, ac gelatinosa gaudent; uti ex internis v.g. sunt juscula

juscula carnium, præsertim carnis bovinæ, vitulinæ, ac gallinaceæ, juscula hordeacea et avenacea, cum floribus sambuci, chamomillæ vulgaris, radice altheæ, etc. cocta, et spermate ceti, oleo amygdalarum dulcium, olivarum, lini, cremenore lactis, burryo nondum salito etc. potentiora redditæ, itemque lac recens tepidum, serum lactis dulce, electuarium ex oleo amygdalarum dulcium, spermate ceti, et pauxillo rhabarbari orientalis, ut et emulsiones ex aquis destillatis mere refrigerantibus, et amygdalis dulcibus, sem. quatuor frigidis majoribus et minoribus, nitro depurato, syrupo dialtheæ Fernelii, papaveris albi etc., decocta aquæa tepide hausta ex hordeo, avena, rad. altheæ, taraxici, scorzonerae, glycyrrhizæ, rasura cornu cervi, eboris etc. Pituita valde simul abundante, pulveres quoque ex lapidibus cancrorum, nitro depurato, terra foliata tartari, spermate ceti, et pulvere liquiritiae egregie prosunt.

§. XIV.

Operationem salutarem et validiorem et certiorem laudata interna exercent, quando externa pariter emollientia, cataplasma scilicet, fomenta, unguenta, linimenta, semicupia, et maxime clysteres simul in usum trahuntur. Inter unguenta, quæ dudum in Officinis pharmaceuticis prostant præparata, unguentum dialtheæ, andynum, et clysmaticum eminent: Linimenta ex oleis unguinosis et pinguedinibus, cataplasma, fomenta, ac balnea e rad. altheæ, malvæ, liliorum alborum, flor. cha-

momillæ simpli., meliloti, sambuci, liliorum alb., semini, foeni Græci et similibus, et clysteres denique vel ex hisce, vel meris subinde oleis unguinosis, oleo lini v.g., olivarum, amygdalarum dulcium, oleo infuso chamomelino, flor. verbasci, liliorum alborum etc. parari poterunt: Absit tamen usus horum posteriorum diuturnus ac crebro repetitus, ne intestina tono suo nimium priventur, et inde igitur aliarum postea ægritudinum fundamenta ponantur. Partium solidarum enim tonum medicamentis relaxantibus prosternere, parvum, prostratum vero rursus reducere, magnum opus est.

§. XV.

Cessante strictura partium affectarum spasmodica, quod e doloris, cæterorumque symptomatum remissione patet, sabulum, pituita, et lapilli minores facile quidem per ureteres in vesicam transeunt, indeque haud raro etiam a natura prorsus expelluntur: Attamen, quum hoc non semper fiat, adeoque alio tempore novi iterum insultus nephritici metuendi sint, mitiora postmodum, immo interdum fortiora pellentia diuretica, nisi grandioris forsan calculi suspicio adsit, exhibere, proficuum fore arbitror. Locum inter medicamenta hæc, eaque tutiora et præstantiora, obtinent 1) aquæ foteriæ minerale Selteranæ, Spadanæ, Egranæ, Antonianæ etc., vel per se, vel cum lauste haustæ, 2) decoctæ et infusa theiformia ex rad. cichorii, taraxici, pareiræ bravæ, pimpinellæ albæ, herba hederæ terrestris, chamædryos

dryos nobilis, veronicæ, teucrui veri, flor. calcatrippæ, sem. fœniculi, flaved. cort. citri, ligno Gvajaco, nephritico etc., 3) pulveres ex lapidibus cancerorum, rad. irid. Florent., curcumæ, nitro, tartaro solubili, terra foliata tartari, cremore tartari, coccionella, asellis præparat., regulo antimonii medicinali, et sulphure antimonii aurato, 4) mixturæ concentratæ ex tintura rhabarbari, succini, benzoes, pimpinellæ albæ, (a) eff. gummi ammoniaci, spiritu nitri et salis dulci, liquore anodynō minerali etc., et 5) denique mixturæ leniores ex liquore terræ foliatæ tartari vinoſo, extracto angelicæ, card. bened., trifolii fibrini, chamomillæ simplicis etc., quibus, si utile visum fuerit ac necessarium, prædicta liquida potentiora post fil-

C 3 tratio-

(a) Medicorum nonnulli, præsertim in Anglia, persæpe expellendi fine in adfectibus calculosis tinturam cantharidum ad guttas 10, 20, 30., 40. cum vino propinan: Verum, quod me attinet, periculosam hanc audaciam satis mirari nequeo, quum certo omnino certius sit, quod tintura hæc indolem corrosivam, cui perfecte corrigenda mixtus vini spiritus minime sufficit, obtineat, et partes ideo, quas transit ac permeat, hostili rosione et erosione facile lædere valeat. Clarius memorata ex ipsa præparatione patebunt; quare eandem hic subiungere non inutile futurum existimo. Est autem sequens: Rec. Pulveris cantharidum unciam unam, spiritus nitri fortissimi uncias duas, digere simul per diem et noctem, sic cantharides penitus dissolvuntur, et liquor colorem rubicundum impetrat. Huic deinde superaffunde spiritus vini uncias sex, digere iterum (quo diutius, eo melius), postea filtra tinturam, et ad usum repone. Dosis, uti antea pridem dictum, a guttis 10. ad guttas 20., 30., 40. adscendit.

trationem solutionis nunc majori nunc minori quantitate addere licet.

§. XVI.

Calculo grandiori praesente, nihil amplius, uti jam antea monui, suscipiendum est, ne, vix restituta quiete, pristinæ turbæ revertantur, et ægrum in majus vitæ discrimen deducant. Loquuntur quidem scriptores nonnulli de lithotomia renali, eamque non plane impossibilem esse opinantur: Verum enim vero, quum operatio hæc pro meo judicio periculosissima sit, et aptior omnino ad ægrum interficiendum, quam conservandum, commendare eam minime audeo, sed ista saltim, quæ saepè laudatus I. A L E N V E L potius G R E E N F E L D I V S de illa retulit, adducam: „*Calculus grandior, sic verba sonant (a),* in rene „una cum ejusdem ulcere est casus desperatus; aliquando „verò natura, dictu mirabile, ultra spem omnem abscessum „efficiens per ipsos spinales musculos viam patefecit ad „calculum ejiciendum, et tandem ulcus consolidatum fuit. „Atque hinc quasi charta provocatoria, natura monstrante „viam, ad aliquid tentandum ars nostra laceffitur. Audax „omnia perpeti, gens humana. Operationem *Lithotomia* „*Vesicalis* omni ævo chirurgi exercitarunt; sed de *Litho-* „*tomia Renali*, quod scio, nusquam omnino audivimus an- „te celebrem *Dominicum Marchetti Pataviensem*, qui e rene „*Consulis Hobson* calculum sectione eduxit, ægrumque ad „integrā sanitatem restituit. *Transact. Philosoph.* no. 223.

(a) Lib. cit. Cap. VII. Art. 41. p. 263. sequ.

„Unam adhuc aliam Nephrotomiae instantiam pari successu
 „ex historia Gallicana affert D. Freind *Hist. Med.* Vol. 2. p.
 „185. Sed ut cum sagaci D. Rutty loquamur (in eleganti
 „suo tractatu de *dutibus urinariis*) ex consideratione par-
 „tium secundarum est saltem pura puta *possibilitas*, ut haec
 „operatio feliciter succedat, *probabilitas* vero vix aut ne
 „vix quidem. etc.

§. XVII.

Parum ab antecedente medendi methodo illa rece-
 dit, quam praetici rationales praesente copiosa materia acri
 salina observare solent, praeterquam, quod oleosorum,
 pinguium, aliorumque emollientium usus multo parcior,
 mucilagineorum autem ac gelatinosorum demulcentium
 exhibitio et largior et frequentior esse debeat. Praeter
 demulcentia, quorum selectiora supra pridem §. 13. indi-
 cavi, laxantia etiam mannata ac rhabarbarina, itemque le-
 niora diaphoretica, sub forma in primis liquida diffusiori
 propinata, proficia non minus, quam necessaria deprehen-
 duntur, quo acres humorum quisquiliae a renibus, quan-
 tum fieri potest, avocentur, et per alias pariter vias edu-
 cantur.

§. XVIII.

Quemadmodum emollientia, lubricantia, ac de-
 mulcentia sub nephritidis calculosae, sabulosae, et vix me-
 moratae scorbuticæ, arthriticæ etc. curatione primariis in-
 dicationibus præcipue satisfaciunt; sic maximum auxilium
 in

in nephritide striete sic dicta seu inflammatoria a venæfetione, et temperantibus leniterque discutientibus antifebrilibus exspectandum est. Phlebotomia in brachio institui, et interdum quoque, si inflammatio scilicet gravior ac refractaria existat, semel, immo bis, reiterari debet. Ex antorgasticorum, resolventium, leniterque discutientium classibus singula quidem huc pertinent, quæ in reliquis febribus ardentibus et inflammatoriis profundunt, præ reliquis nihilominus decocta avenacea et hordeacea, cum rasura cornu cervi aut eboris, rad. graminis arvensis, scorzonerae, altheæ, taraxici etc. parata, ut et serum laetis dulce et acidulum, nec minus emulsiones ex aqua endiviae, latucæ, flor. acaciae, borraginis, anagallidis rubrae, nymphæae, amygdalis dulcibus, seminibus quatuor frigidis majoribus et minoribus, papaveris albi, et nitro depurato, largius addito, sese commendant. Externe discutiendi scopo laudatur camphora, et in principio pariter clysmata, fomenta, epithemata, et cataplasmata emollientia conductunt. Si inflammatio, quod adhuc notandum est, in abscessum abeat, facta ruptura, tempestive mundificantia et vulneraria interna, quæ postea recensabo, adhibenda sunt, ne ulcus sordidum, difficillime iterum sanabile, inde generetur.

XXXV

§. XIX.

Multa ex vix commendatis remediis, maxime autem venæfetio in pede, et aqua, nitrosa, atque acidula temperantia interna, magnopere etiam in dolore nephriticico,

tico, a vehementi congestione hæmorrhoidalí oriundo, prodeesse consverunt, nec contemnendam pariter opem pediluvia, clysteres mère emollientes, fæculi hujus census, cum latè costi, et ano impositi, itemque hirudines, externis venarum nodis adplicatae, ferunt. Quod emollientia autem reliqua, quæ in speciebus præcedentibus regioni lumbari adplicantur, attinet, illa in principio saltem, et sub maximo doloris spasmodici vigore locum inventiunt, deinde vero ab ulteriori eorundem usu abstinentiam erit, ne fibris renalibus nimia inducatur relaxatio, et crux itaque majori impetu ad partes debilitatas ruat.

§. XX.

Ad ulcus sanandum a scriptoribus multa quidem ac varia laudantur, ast dolendum, quod effectus eorum, præsertim si ulcus aliquamdiu perduraverit, et lenta pridem febris illi juncta sit, rarissime voto ac spei respondeat. Externa enim remedia, ob situm partis affectæ remotiorem, nihil prorsus efficiunt, interna gelatinosa, mucilaginea, oleosa ac pingua ulcerosæ materiae a credinem solummodo mitigant, adeoque dolorem saltim aliquantulum minuunt, et mundificantia denique ac blanda traumatica balsamica, fractis jam viribus, ad locum exulceratum pervenient, nec adeo multum itaque ad promovendam consolidationem amplius conferre possunt. Quicquid interea sit, medicus officio suo perfungi, et congrua pharmaca demulcentia, mundificantia ac consolidantia ægro præscribere tenetur.

D Mili-



Militant inter ea, præter lac asinimum et vaccinum, serum laetis dulce, hydromel, aliaque demulcentia, dudum re-censita, 1) decocta ex rad. glycyrrhizæ, altheæ, levisticæ, angelicæ, gentianæ rubræ, caryophyllatæ, anchusæ, hb. melissæ citrariæ, agrimoniacæ, chamædryos nobilis, betonicæ, alchimillæ, flor. millefolii, hyperici, virgæ aureæ, sem. lini, santonico, daftylis, jujubis, caricis pinguibus etc. 2) electuaria ex melle rosarum, syrupo dialtheæ et de symphyto Fernelii, extract. cent. minor., card. bened., scordii, angelicæ, chamomillæ simpl., myrrha genuina, balsamo Peruviano, croco orientali etc., et 3) pilulae ex terebinthina, iota non minus, quam liquida recenti, aloë rosata aut violata, gummi galbano depurato, extractis vix memoratis, balsamo Peruviano, et de Copaiva, myrrha, pulvere croci orientalis, granorum chermes etc. Hisce nonnulli rhabarbarum orientale, parva dosi ast sapissime adsumptum, itemque radicem pareiræ bravæ, in decocto aquoso, aut pulvere usurpandam, addunt, eademque in renum atque vesicæ ulceribus specifica esse affirmant, immo, alii aquam calcis, tum vulgaris, tum calcis ostrearum aliarumque concharum (a), nec minus æthiopem minealem,

(a) RICHARDVS MEAD aquam calcis, non ex vulgari tamen calce viva, sed calce ostrearum aliarumque concharum infusione patratam, magnis extollit laudibus, eamque in calculosis quoque adfectibus subinde eximias plane vires lithontripticas exerere, in Libello, cui titulus, *Monita et Praecepta medica*, refert: „Veruntamen, l. c. p. 99. scribit, cum in re tanti momenti nihil dissimulare, nihil celare oporteat; utilitatis publicæ



ralem, et tinturam antiphthisicam valde deprædicant.
Aquam calcis vivæ subinde exsiccandi fine admitto, æthiopis mineralis vero, ut et tinturæ antiphthisicæ usum suadere nequeo, quoniam prior nunquam ad renes penetrat, et posterior fortius, quam præstat, fibrarum constrictione, necessariam materiae ulcerosæ excretionem facile impedit.

§. XXI.

De curatione doloris nephritici, ab adsumtis venenis erodentibus, aut vermis orti, seorsim multa tradere supervacaneum duco. Contra dicta enim venena quævis oleosa, pinguis, mucilaginea et gelatinosa obtundentia, saepius pridem in hac dissertatione allegata, in usum trahuntur,

causa, quædam a doctissimo Roberto Whytt, medico Edinburgensi, experimentis comperta commemorare juvat. Ille enim, cum incommodis, tum interdum etiam noxis, celebris hujus antidoti (*loquitur autem de Specifico Lisbontriptico, in Anglia tunc temporis decantatissimo*) perpensis, omisso sapone, vires suas haberet aqua calcis, non calce viva, sed rite calcinatis ostrearum aliarumque concharum testis parata, ita ut libra septem aquæ testarum calcinatarum libræ uni affunderentur, experiri voluit. Res ipsi ex voto cecidit; et multo quidem potentius calculum solvere hunc liquorem, quam vulgarem aquam calcis, fragmentorum calculorum immersionibus in utraque factis, facile didicit. Modum deinde illam exhibendi ostendit; quatuorque libras adultos, pueros pro ratione ætatis minus, quotidie bibere jubet. Non uno autem exemplo felicem medicinæ hujus effectum comparabavit. &c.

huntur, et vermes, interdum, quanquam rarissime, in pelvi hospitantes, ita semper delitescant, ut præsentia eorum, ut supra pridem dictum, nunquam medicis ante excretiō nem certo innotescat. Hisce accedit, quod anthelmintica, quæ, vera causa detecta, exhibenda forent, parum in hoc casu auxilii præfent, necemque vermis, ob vires sub transitu per sanguinem magnopere iminutas, vix aut ne vix inferre valeant. Ut nihil de magnitudine quorundam et forma singulari dicam, quæ sæpe impediunt, quominus, nisi extinti prius in putrilaginem resolvantur, vias angustas transeant, penitusque postmodum excludantur.


§. XXII.

Regimen diæteticum, sub curatione observandum, a practico rationali, si cuiusvis causæ indolem specificam probe perpendat, facilime determinari potest, quem istud eo in genere redeat, ut singula, quæ naturam, causæ materiali similem, aut plus tamen minusve analogam, obtinent, aut eam tamen intendere valent, sedulo evitentur, et illa ex adverso adhibeantur et admittantur, quæ medicamentis, ob genii, viriumque similitudinem manus auxilia trices porrigit, vel nulla ad minimum operationi eorumdem obstacula ponunt. Ad exponenda specialia descen-

dere supersedeo, et huic itaque dissertatiunculæ,

quum nihil singulare amplius pertractandum

fit, finem impono.



01 A 6561

Nr. 11 (Teil mit zu
ermitteln)

ULB Halle
002 936 143

3



Sb.

1078
V\$17



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
PASSIONE NEPHRITICA
QVAM
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
IOH. FRIDERICO CARTHENVSER
MED. DOCT. ET PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
FACVLT. MED. h. t. DECANO
PROGRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORBV\$ ET PRIVILEGIIS
RITE CAPESSENDIS

DIE DECEMBER. M D C C L I I I.

H. L. Q. C.

P V B L I C E D E F E N D E T

IOHANNES GODOFREDVS ELLER

SANGERHVSANO THVRINGVS



FRANCOFVRTI ad VIADRVM
TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REG. TYPOGR.